

## Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

### Liber 2, distinctio 18, circa 2, quaestio 1. (fol. 23ra)

#### Utrum omnium hominum sit unus intellectus numero?

Circa secundum principale quaeritur, utrum omnium hominum sit unus intellectus numero? Et videtur quod sic, quia in rebus incorporalibus in una specie non est nisi unicum individuum. Sed anima humana unius speciei est et incorporabilis(?), ergo una numero tantum. Minor patet, maior ponitur a Philosopho et suo Commentator, *XI Metaphysicae*.

Item, unitas accidentis requirit unitatem suppositi. Sed universale, quod est accidens, est unum et idem in omnibus. Ergo cum ipsum universale sit in intellectu, ergo est unus intellectus, quod autem universale, sic patet, quia genus est unum genus habens plures species.

Item, aut anima numeratur ad multiplicationem corporum, aut non. Si non, habeo propositum. Si sic, ergo cessante corporum numeratione cessabit<sup>2</sup> multiplicatio animarum.

**Contra**, impossibile est eidem contrarie inesse. Sed si idem esset intellectus omnium, tunc eidem intellectui inessent contraria, scilicet scientia et ignorantia et similia, ergo etc.

#### Respondeo,

dicendum, quod communiter fuit dictum a philosophis, quod in hominibus aliquid esset idem non numeratum, ut intellectus agens, et aliquid numeratum ut sunt

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 18, c. 2, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> Scripsit sed del. *corporum*

<23rb>

partes inferiores animae [ut vegetabilis, sensibilis],<sup>3</sup> quia eas dixerunt generari et corrumpi ad corporum generationem. Sed posuerunt etiam intellectum possibilem esse eundem, sicut Commentator Averroes, *Super III De anima*.

Ad videndum autem intentionem Averrois, primo consideranda est sua positio, secundo positionis ratio, tertio eius origo, quarto defensio.

Quantum ad primum, sciendum, quod ipse posuit triplicem intellectum, scilicet agentem, possibilem et adeptum. Possibilis autem sive materialis est prima hominis perfectio, sed intellectus adeptus vel factus est ultima, et unitur corpori per fantasmata intellectus possibilis cum fuerit actu intellecta. Species enim imaginativae, quae dicitur fantasma, est intelligibile in potentia, sed per actionem intellectus agentis fit actu intellectum in ipso potentialis. Et per istam viam dicit, quod unitur nobis eo, quod species, quae prius erant in imaginationem, fiunt in intellectu possibili, et talem habitum, qui per hoc acquiritur, vocat intellectum adeptum sive factum. Et istud dicit corrumpi, et generari, et plurificari per pluralitatem hominum.

[Quantum ad secundum]<sup>4</sup> ratio<sup>5</sup> eius fuit, quia credebat, quod intellectus esset aeternus, ingenerabilis et incorporealis. Et in aeternis non est accipere nisi unicum individuum in una specie.

Item, quia intellectus non dependet a corpore, cum non sit corpus nec virtus in corpore, ut dicit magister eius, unde sequitur, quod intellectus non est hoc aliquid, id est, individuum.

Unde, *Super III De anima*, sic dicit, opinandum est, quod in anima sunt tres partes intellectus, quarum una est intellectus recipiens, secunda autem efficiens, tertia vero factum. Et duae istarum sunt aeternae, scilicet, agens et recipiens. Tertia autem generabilis et corruptibilis.

Quantum ad tertium, origo suae positionis fuit sententia Philosophi, quam Commentator supponit tamquam infallibilem. Et quae est illa, est una suppositio et duplex conclusio. Suppositio est, quod spiritualis substantia non est otiosa, et esset nisi movetur corpus. Conclusio autem prima est mundum fuisse ab eterno. Conclusio secunda est, quod impossibile est esse actu infinitum in natura.

Ex hiis sequitur, omni homines fuerint infiniti. Ergo intellectus fuissent infinitus, si multiplicatur secundum multiplicationem hominum. Et cum sit incorporealis, remaneret, et sic essent modo animae infinite, quod est contra secundam conclusionem.

Item, si intellectus a corpore separetur et

---

<sup>3</sup> Add. in marg.

<sup>4</sup> Add. in marg.

<sup>5</sup> Scripsit sed del. *autem*

non corrumperetur, iam postea esset otiosus cum non moveat corpus, contra suppositione.

Et pro certo factis suppositionibus non potest responderi hiis inconvenientiis et argumentis, nisi ponendo maius inconveniens, scilicet, circulum animarum, quod philosophus plus abhorruit.

Quantum ad quartum, sciendum, quod ipse sic se defendebat, quia ponebat intellectum materialem vel possibilem unitur isti et illi homini per fantasmata diversa et diversi mode se habentia. Et per hoc fugit illud inconveniens, quod in contrarium est argutum, scilicet, quod unus sit sciens, alius nesciens.

Sed hoc omnia sunt falsa et heretica. Et primo, quia ponit hominis perfectionem esse intellectus. Etiam cum hoc ponit, quod non coniungitur homini nec ut pars nec ut totum. Sed non est dare alium modum qua sit perfectio hominis, si non est eius pars vel veniat ad totius constitutionem. Quomodo ergo erit meus, si non est id quod ego vel pars mea aliqua? Certe nullo modo. Nec potest fugere et dicere, quod unitur per fantasmata, quia fantasmata non sunt nobis aliquid essentielle.

Item, cum omnis actio sit elicitā ab aliqua forma, impossibile est quod, si forma non est materia, quod actio<sup>6</sup> elicitā ab illa forma sit materia. Et sic homo non intelligit, nisi sicut bestia.

Item, sequitur quod omnes homines habeant eadem voluntatem. Nec potest fugere de voluntate per fantasmata sicut de intellectu, cum voluntas non velit per fantasmata. Et sic quicquid tu vis et ego, et sic de aliis, quod est insania dicere.

Defensio etiam positionis nulla est, quia si intellectus non unitur homini nisi per fantasmata, ergo quando homo non intelligit actu, non est homo, sed bestia, puta quando dormit.

Item, sequitur quod homo per actum homini accidentalem reponatur in specie humana.

Item, homo dicitur intelligere quando intelligit, et non intelligere quando eius intellectus non intelligit. Ergo si idem sit intellectus, idem est intelligens et non intelligens, quod est contradictio.

Item, quando sunt

<23va>

plures agentes et unum <in>strumentum, dicuntur plures agentes. Sicut si duo traherent unam navem per unum funem, licet esset unus tractatus nihilominus essent duo trahentes. E converso autem est, si agens est unus et

---

<sup>6</sup> Scripsit sed del. *sit*

duo <in>strumenta dicuntur, sicut quando homo tangit duabus manibus aliquae diversa, dicitur unus tangens, sed bene duo tactus. Sic in proposito, si unus est tamen intellectus. Licet secundum te sint plura <in>strumenta, scilicet fantasmata, respectu eius intelligibilis, tunc dicitur, quod sit unus intelligens, sed duae intellectiones. Ergo sequitur, quod intellectus sit intelligens et non intelligens, quando non omnis simul intelligunt.

Item, suppositio sua bene est vera, scilicet, quod nulla substantia spiritualis sit otiosa, immo nec corporalis. Sed non sequitur, non movet corpus, ergo est otiosa, quia potest aliud facere, scilicet intelligere et amare Deum.

Ratio etiam sua et sui magistri non sequitur, quia si intellectus sit ingenerabilis et incorporealis, quod bene est verum, sed hoc non infert, quod sit aeternus nisi ex parte post, quia licet non sit eductus de potentia materiae, sicut corpus, est tamen eductus per creationem. Nec aliud sequitur, quod si quilibet homo habuit suam animam, quod propter hoc sint infinite, quia non fuerunt infiniti homines. Ad probationem dicendum, quod tu supponis, quod mundas fuerit aeternus, quod ego nego. Et sic totum suum processum destruximus.

Dicendum est ergo, quod necesse est unumquemque hominem habere suam animam, sicut unumquodque perfectibile suam perfectionem per quam in sua specie specifica reponitur, quia proprius actus in propria materia.

Unde dominus in Hieronymus dicit omnes animae meae sunt.<sup>7</sup> Et In Iesaia,<sup>8</sup> omnem flatum ego feci. Et in Psalmo<sup>9</sup> quod finxit singillatim corda eorum.

Ratio etiam Platonis bona est, quia sicut est impossibile plures species habere eandem formam specificam, sic impossibile est plura individua habere eandem formam individuum.

**Ad primum argumentum**, dicendum, illam positionem esse falsam, quod, scilicet, non sit in una specie nisi unicum individuum. Quia licet non fit per generationem, quae esse non potest quia est incorporealis, est tamen per creationem, sicut in angelis et stellis.

**Ad secundum**, dicendum, quod illud accidens, scilicet universale, non est unum sed plura, quia plura subiecta, licet possint dici unum in comparatione ad individua, quod est esse unum secundum quid.

**Ad tertium**, dicendum, quod secundum pluralitatem corporum est pluralitas animarum. Sed non sequitur, quod ad destructionem consequentis [nisi sit videtur(?) per se consequens,]<sup>10</sup> quia illa

---

<sup>7</sup> Ezekiel 18:4

<sup>8</sup> Isai. 57:16.

<sup>9</sup> Ps. 32:15.

<sup>10</sup> Add. in marg.

non est causa per se, nisi sine qua non. Hoc dico, quia causa quare haec anima sit alia ab illa non est corpus, sed Deus eam faciens, et sua principia intrinseca, scilicet sua materia et sua forma in existendo.